



00
ka




LESSUS,
 AD FUNUS
 VIRI GENEROSISSIMI,
IOANNIS
FRIDERICI
LOHE,
 EQUITIS SUECI,
 WERNIGERODÆ AD BRUCTERI RADICES,
 d. VI. Non. Jul. clolcccxxxcl.
 PIE DENATI,
 DECANTATUS
 AB
 AMICO CONTERRANEO.

WERNIGERODÆ,
 Ex Officina Michaelis Antonii Struckii, Typogr. Aul.

Ec


AK






Nascimur, heu ! miseri : cuncti miserabile vulgus
Viuius : in cunis plurima nata lues.
Nascimur aegroti : crescit, proh ! morbus cundo ;
Vitaque, quam viuis, nil nisi morbus erit.
Nascimur inferus certissima pompa futuri :
Vitaque mortis iter , mortis imago manet.
Nascitur hic membris captus, pede claudus at alter,
Fabulam huic surdo multa canendo canis.
Vmbra is captat , communi lumine cassus,
Dum mutilo quereris membra corpora tuo.
Hic lecto gemitus vigili, noctesque diesque
Humectans salis imbris ora , ciet.
Hunc vrunt tremulae furibunda incendia febris,
Vultus abest vultu , turpat et ossa cutis.
Illius ut tabes depascit lurida ventrem :
Alterius , dirum ! pectora cancer edit,
Vtque dolor caecis rodit cruciatibus artus
Huius , perque manus saeuit atque pedes :
Turget alius hydrops membris inflatus aquosis :
Alter at illacrymans viscera laesa dolet.
Eheu ! quis numero comprehendat nomina morbi ?
Ille prius numeret sidera sparsa polo.

Ecquis opem miseris, ecquis solamina praebet?
 Adsit, qui medica nomen ab arte gerat,
 Adsit Phyllirides, Podalirius atque Melampus,
 Adsit et Hippocrates Paeoniusque Ienex.
 Pocula ferte potentia, ferte Machaonis herbas
 Et succi validi pharmaca quisque ferat,
 Sed frustra! Chiron operotae viribus herbae
 Nil valet et medici praefes Apollo chori.
 Denique fonte iubent latices haurire salubri,
 Et medicis aegrum mergere corpus aquis.
 Et DEUS et fautrix monito fortuna probato
 Adspirant: morbos mitigat vnda potens.
 Hinc illam aegroti densa cinxere corona,
 Thermas, sperantes, praeualuisse Stygi.
 Haec prope depositis superest spes vna salutis,
 Haec solidum robur publica cura facit.
 Cum patribus matres, pueri innuptaeque puellae
 Vndique conueniunt decrepitiq; senes,
 Aduolat huc diues positus in fenore nummis;
 Combibo mendicus corrogat atque stipem:
 Adsunt fulgentes auro gemmisq; superbi;
 Adsunt, quos lacero tegmine cento tegit.
 Ducitur huc caecus, dextram iungente strabone:
 Infert se socium surdus et haurit aquas:
 Adrepat claudus, baculo suffultus inertis,
 Hisce scyphis titubans spem bibulamq; bibit.
 Concurrent multi, queis insanabile vulnus,
 Quorum tabificus corpora languor habet.
 Qualis vbi celebres indicit penniger vrbe
 Mercatus deus, huc turba frequensq; volat:
 Vndique, venales qui vult extrudere, currit
 Mercator merces irrequietus eo:
 Vndique concurrunt, pretium qui vile peroptant;
 Nec pauci referunt taedia sola domum.
 Haud aliter, quos ad thermas fontesq; salubres
 Cum medico morbus credula spesq; trahunt,



His pellunt lymphis veteres quandoque dolores;
 Sed modo falluntur, spem Libitina rapit.
 O te prudentem, te terque quaterque beatum,
 Qui morbos CHRISTO fonte medere tuos!
 Hic fons est medicus, quo non praesentior aegris,
 Hos, ea certa salus, ex Acheronte vocat,
 Illius ex fesso promanat corpore riuus
 Isque Stygis fanat qui subiturus aquas:
 Vt Solymis tandem caelestes hauriat vndas,
 AGNI quae folio fonte perenne fluunt.
 Hoc quoque TE puro delectas nectare, AMICE,
 Inter caelicolas, hoc recreasque sitim.
 Ipse quidem quondam, TVA quum dolor vreret ossa,
 Venisti Succus teutonicas ad aquas:
 Sed TIBI terrenis lymphis sperare salutem,
 Ille negavit fons, quem super astra bibis.
 Hunc bibe iam saluus, viuo TE que ablue riuo
 Ossaque de tumultu suscipe sana: Vale.




78 M. 404



TA-70L


V. 17 22





LESSUS,
AD FUNUS
VIRI GENEROSISSIMI,
IOANNIS
FRIDERICI
LOHE,
EQUITIS SUECI,
WERNIGERODÆ AD BRUCTERI RADICES,
d. VI. Non. Jul. clolcccxxxviii.
PIE DENATI,
DECANTATUS
AB
AMICO CONTERRANEO.

WERNIGERODÆ,
Ex Officina Michaelis Antonii Struckii, Typogr. Aul.



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

